

*Præcepta de cena paschali.*

Léctio libri Exodi

12, 1-8. 11-14

In diébus illis:

<sup>1</sup> **D**ixit Dóminus ad Móysen et Aaron in terra Ægýpti:

<sup>2</sup> «Mensis iste vobis princípium ménsium,  
primus erit in ménsibus anni.

<sup>3</sup> Loquímuni ad univérsum cœtum filiórurn Israel  
et dícite eis:

Décima die mensis huius  
tollat unusquísque agnum per famílias et domos suas.

<sup>4</sup> Sin autem minor est númerus,  
ut sufficere possit ad vescéndum agnum,  
assúmet vicínurn suum, qui iunctus est dómui suæ,  
iuxta númerum animárum,  
quæ sufficere possunt ad esum agni.

<sup>5</sup> Erit autem vobis agnus absque mácula,  
másculus, annículus;  
quem de agnis vel hædis tollétis

<sup>6</sup> et servábitis eum  
usque ad quartam décimam diem mensis huius;  
immolabítque eum univérsa congregátio filiórurn Israel  
ad vésperam.

<sup>7</sup> Et sument de ságuine eius  
ac ponent super utrúmque postem  
et in superlimináribus domórum,  
in quibus cómedent illum;

<sup>8</sup> et edent carnes nocte illa assas igni  
et ázynos panes cum lactúcis amáris.

[9-10]

<sup>11</sup> Sic autem comedétis illum:  
renes vestros accingétis,  
calceaménta habébitis in pédibus,

tenentes báculos in mánibus,  
et comedétis festinánter;  
est enim Pascha (id est Tránsitus) Dómini!

<sup>12</sup> Et transíbo per terram Ægýpti nocte illa  
percutiámque omne primogénitum in terra Ægýpti  
ab hómine usque ad pecus;  
et in cunctis diis Ægýpti fáciam iudícia,  
ego Dóminus.

<sup>13</sup> Erit autem sanguis vobis in signum  
in ædibus, in quibus éritis;  
et vidébo sánguinem et transíbo vos,  
nec erit in vobis plaga dispérdens,  
quando percússero terram Ægýpti.

<sup>14</sup> Habébitis autem hanc diem in monuméntum  
et celebrábitis eam sollémnem Dómino  
in generatió nibus vestris cultu sempitérno».

Verbum Dómini.